Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Missio

urn:nbn:de:bsz:31-160625

Visual Library

itinere vel itineraturi *inter aurorā & mediam noctem.* Portel. *V. Miſſa. n. 3.* legit; *ante auroram, poſt mediam noctem. Vide de his* Tamb. *cit.* § *4. & Vrban. ab Aſcens. tr. 2. p. 2. diſt. 1. c. 2. Reg. 7.*

CCCVI. *Circa numerum remiſſiuè.* 306. Circa *Numerum* duplicia ſunt Priuilegia. 1. celebrandi ſæpiùs in vna die. 2. Vt Generales Religionum in Viſitatione poſſint in multitudine Miſſarum diſpenſare, adeò vt in Miſſa poſſint poni, vſque ad nouem Collectæ, & quælibet Collecta valeat pro Miſſa. De 1. videatur infra *V. Miſſio.* De altero, cum apud nos in vſu non ſit, remitto Lectorem ad P. Sorbo *in Comp. Priuil. ad V. Miſſa.* Tamburin. *l. 3. c. 1. §. 4.* Vrban. ab Aſcenſ. *cit. Reg. 8.*

MISSIO.

307. *Priuilegia Miſſionis facta Capucinis Prouinciæ Helueticæ.*

CCCVII. *Priuilegia Miſſionis Heluet.* 307. PAtres Prouinciales Heluetic æ noſtræ Capucinorum Prouinciæ, præter ordinarium ſuum Miniſterium, officium inſuper exercent præfecti Miſſionis, ex gratia ſpeciali S. Congr. Eminent. DD. Card. de propaganda fide, à quibus, eum in finem, varias etiam gratias & facultates inſignes accipiunt, quas & communicare

valent

valent quibuſcunque Prouinciæ (quæ tota aliud non eſt quàm Miſſio, vtpotè quaqua-versùs circundata & permixta hæreticis) Confeſſarijs. Tametſi verò ad quinquennium concedi ſoleant, ne Prouincialis nouus, qui ſingulo triennio eligitur, ijs facultatibus, quas ſingulatim ſemper ſibi concedi petere debet, interim priuetur, factâ tamen ſui electione continuò huius S. Congregationem per A. R. P. Procuratorem Ordinis in Curia Romana commonefacere neceſſum habet, quo nominatim eidem reualidentur.

Porrò Priuilegia hunc in finem conceſſa ſunt ſequentia.

1. *Adminiſtrandi omnia Sacramenta etiam Parochialia, Ordine & Confirmatione exceptis, & quoad Parochialia in Diœceſibus, vbi non erunt Epiſcopi vel Ordinarij vel eorum Vicarij, vel in Parochijs, vbi non erunt Parochi; vel vbi erunt, de eorum licentia.*

2. *Abſoluendi ab hæreſi & Apoſtaſia à fide & à ſchiſmate quoſcunque etiam Eccleſiaſticos, tam Sæculares, quàm Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, vbi S. Officium exercetur, niſi in locis Miſſionum, in quibus impunè graſſantur hæreſes, deliquerint; nec illos, qui iudicialiter abiurauerint, niſi iſti nati ſint, vbi graſſantur hæreſes, & poſt iudicialem abiura-*

tionem

tionem illuc reuerſi, in hæreſin fuerint relapſi,& hoc in foro conſcientiæ tantùm.

3. Abſoluendi à Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis primò conuerſos ad fidem Catholicam tantùm, remiſsis aliis ad Nuncium Apoſt.

4. Abſoluendi & diſpenſandi in quacunque Simonia, & in reali, dimiſsis beneficijs & ſuper fructibus malè perceptis, iniunctâ aliquâ Eleemoſynâ vel pœnitentiâ ſalutari arbitrio Diſpenſantis, & in foro conſcientiæ tantùm.

5. Tenendi & legendi, non tamen alijs concedendi libros hæreticorum vel infidelium, de eorum Religione tractantium, ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinæi, Nicolai Machiauelli, & libros de Aſtrologia judiciaria principaliter aut incidenter, vel aliàs quouis modo de ea tractantes, ita tamen, vt libri ex illis Prouinciis non efferantur.

6. Celebrandi Miſſam quocunque loco decenti, etiam ſub dio, ſub terra, vnâ horâ ante auroram, & aliâ poſt meridiem: bis in die, ſi neceſsitas cogat; ſi tamen in prima Miſsa non ſumpſerint ablutionem, & ſuper altari portatili, etiam fracto aut læſo, & ſine SS. Reliquijs & præſentibus hæreticis, aliiſque excommunicatis, ſi aliter celebrari non poſsit, & non ſit periculum Sacrilegij; dummodò inſeruiens Miſſæ nō ſit hæreticus vel excommunicatus. 7. Di-

7. *Diſpenſandi & commutandi vota ſimplicia in alia pia opera, exceptis votis Caſtitatis & Religionis.*

8. *Diſpenſandi in foro conſcientiæ ſuper Irregularitate ex delicto occulto proueniente, & non deducto ad ſorum contentioſum; non tamen ex homicidio voluntario aut Bigamia.*

9. *Diſpenſandi cum conuerſis ad fidem Catholicam in 3. aut 4. gradu Conſanguinitatis & affinitatis, ſimplici & mixto, quoad præterita Matrimonia, & in prædictis caſibus prolem ſuſceptam declarandi legitimam.*

10. *Diſpenſandi cum iiſdem ſuper impedimento publicæ honeſtatis iuſtitiæ ex ſponſalibus proueniente.*

11. *Diſpenſandi cum iiſdem ſuper impedimento criminis, neutro tamen Coniugum machinante.*

12. *Diſpenſandi cum iiſdem in impedimento cognationis ſpiritualis, præterquàm inter leuantem & leuatum.*

13. *Hæ verò Matrimoniales diſpenſationes 9. 10. 11. 12. non concedantur, niſi de conſenſu Epiſcoporum, vbi erunt, & cum clauſulâ, dummodò mulier non fuerit rapta, vel ſi rapta fuerit, in poteſtate raptoris non exiſtat, & in diſpenſatione tenor huiuſmodi facultatũ inſeratur, cum expreſſione temporis, ad quod fuerint conceſſæ.*

14. Reſtituendi jus petendi debitum amiſſum.

15. Concedendi Indulgentiam plenariam in oratione 40. horarum ter in anno de conſenſu Epiſcoporum, ſi ibi fuerint, indicendo, diebus benè viſis, contritis & confeſsis & S. Communione refectis, ſi tamen ex concurſu populi & expoſitione SS. Sacramenti nulla probabilis ſit ſuſpicio ſacrilegij ab hæreticis, aut Magiſtratum offenſum iri.

16. Concedendi Indulgentiam primò Conuerſis ab hæreſi, atque etiam fidelibus quibuſcunque in articulo mortis, ſaltem contritis, ſi confiteri non poterunt.

17. Lucrandi ſibi eaſdem Indulgentias.

18. Singulis ſecundis ferijs non impeditis officio 9. Lectionum, vel ijs impeditis die immediatè ſequenti celebrando Miſſam de Requiem, in quocunque Altari etiam portatili, liberandi animam ſecundùm eius intentionem, à purgatorij pœnis per modum ſuffragij.

19. Communicandi ſupradictas facultates ſocijs ſuis in Miſsione.

20. Vtendi eiſdem facultatibus in locis ſuæ Miſsionis tantùm.

21. Prædictæ facultates gratis & abſque vlla mercede exerceantur, & ad quinquennium tantùm conceſſæ intelligantur.

MONA-

Habetur apud Roderiq. in appendice Bullarij memorabile Priuilegium pro Carmelitis Diſcalceatis in Perſarum & quorumcunque infidelium Schiſmaticorum & hæreticorum partes mittendis, factum à Clement. 8. & extenſum ad loca etiam alia, Galliæ, Flandriæ, Germaniæ, Poloniæ, & partes alias vbi hæreſes graſſantur, non obſtante, quòd ibi morantur Catholici. Cuius teſtimonium ſingulare refert P. Auguſtinus à Virgine Maria. In tractatu de Priuilegijs omnium Religioſorum &c. *V. Miſſionarij. n. 17.* meritò videndus.

MONASTERIVM.

308. *Decreta Pontificia de Conſtructione Monaſteriorum.*

309. *Conditiones in ijs requiſitæ.* 310. *An comprehendant etiam Hoſpitia?* 311. *Vel mutationes Conventuum?*

308. SAncta Mater Eccleſia Sponſi ſui cœleſtis, à quo nonniſi ordinata procedunt *Rom. 13.* ſapiens æmulatrix, ſicut in omni ſtatu maximè diligit ordinem, ita in SS. Religionum Ordinibus ab antiquo iam tempore ſummoperè cauit, ne quid inordinati fieret, præſertim verò in Monaſteriorum, quæ ſunt Diuino cultui dicatorum CCCVIII. *Decreta Pontificia pro Conſtructione Monaſteriorum.*

 homi-